

supra scriptam peciam de terra aratoria qualiter supra ab omni omine defendere, quod si defendere non potuerimus, aut si parti ipsius Ecclesie, & monasterii exinde aliquid per quovis ingenium subtrahere quaesierimus, tunc in duplum eandem peciam de terra aratoria parte ipsius monasterii restituamus sicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit sub aestimatione in consimili loco, & nec mihi liceat ullo tempore nolle quod volui, sed quod a me semel factum, vel quod scriptum est inviolabiliter conservare promitto cum stipulacione subnixa: anc enim cartulam offerfionis pagine Odonis Judicis, & Notarii sacri Palatii tradidi, & scribere rogavi, in qua supter confirmans, testibusque obtuli roborandam. Actum civitate Aquensis feliciter.

Signum manuum Cunizonis Presbiteri qui hanc cartulam offerfionis fieri rogavi, ac signum crucis fecit ut supra. Signum manuum Bernumdi, & Gauselmi, & Warini omnium lege vivencium Romana testium. Signum manuum Alberti, & Vidalis testium. Ego qui S. Oddo Judex, & Notarius sacri Palatii scriptor hujus cartulae offerfionis post traditam complevi, & dedi.

Donatio terrae in agro Meladiensi ab Alsenda facta Mon. S. M. de Aquis. Ex Tabul. ejusd. Monasterii.

MLXXIV.

Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo septuagesimoquarto, quartodecimo Kalendas augusti, indictione duodecima monasterio sanctae Mariae constructo fora prope civitate Aquis. Ego Alsenda filia quondam Naningi quae professi sumus ex nacione mea lege vivere Romana offertrix & donatrix ipsius monasterii presens presentibus dixi. Quisquis in sacris & venerabilibus locis ex suis aliquid contulerit rebus juxta octoris vocem in oculo seculo centulum accipiet, & insuper quod melius est vitam possidebit aeternam. Ideoque qui supra Alsenda dono & offero in eodem monasterio S. Marie presenti die pro anime mee mercede, idest meam porcionem, que est tertia pars de pecia una de terra aratoria juris mei, quam abere visa sum in loco & fundo Melagio, & jacet ad locum ubi dicitur Roveta, & est ipsa mea porcio pro mensura justa perticas legitimas jugeales quatuor; coeret tum ad ipsam meam porcionem quamque ad alii porcionibus super totum ex
(*adeft una linea vacua.*)
sique alie sunt coerentes: quam autem supra scriptam peciam de terra aratoria juris mei superdictam una cum accessionibus & ingressibus, seu cum superioribus & inferioribus suis qualiter supra legitur in integrum ab ac die in eodem monasterio sancte Marie dono, cedo, confero, & per presentem cartulam offerfionis ibidem abendum confirmo faciendum exinde a presenti die pars ipsius monasterii, aut cui pars ipsius monasterii dederit jure proprietario nomine quidque voluerint sine omni mea & eredum meorum contradictione. Quidem & spondeo, atque promitto me ego qui supra Alsenda una cum meis heredibus parti ipsius monasterii, aut cui pars ipsius monasterium dederint supra scriptam meam porcio-

nem de predicta pecia de terra aratoria qualiter supra legitur in integrum ab omni omine defendere, quod si defendere non potuerimus, aut si parti ipsius monasterii exinde aliquid per quodvis ingenium subtrahere quexierimus, tunc in duplum eandem meam porcionem de predicta pecia de terra aratoria restituamus sicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit sub aestimatione in consimili loco, & nec mihi liceat ullo tempore nolle quod volui, sed quod a me semel factum est, vel quod scriptum est, inviolabiliter conservare promitto cum stipulacione subnixa: hanc enim cartulam offerfionis pagine Odonis Judicis & notarii sacri Palatii tradidi, & scribere rogavi, in qua subter confirmans testibusque obtulit roborandam. Actum civitate Aquensi feliciter.

Signum manuum supra scripte Alsende, que anc cartam offerfionis fieri rogavit ut supra. Signum manuum Martini & Mauri, & Nigri omnes lege vivencium Romana testium. Signum manuum Bernardi & Johannis testium.

Litterae Gregorii VII. Papae ad Laudenses, quibus laetatur ipsos, eorumque Episcopum Opizonem B. VVidonis Ep. Aq. fratrem contra simoniacam heresim & Clericorum fornicationem insurgere, & hortatur, ut persistent & Episcopo obediant. Lib. II. Ep. LV. p. 169. T. XX. Conc. Gen. Labb. 1075.

MLXXV.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei Laudensis Ecclesiae filiis salutem & apostolicam benedictionem. Gaudemus dilectissimi de vestro pie religionis affectu, quos audivimus adversus detestandam simoniacam heresim, & presbiterorum fornicationem divinae legis succensos laudabiliter insurgere. Gaudemus quoque super fratre coepiscopo nostro vestro patrono domino Opizzone, qui se intantum nobis ejusdem zelo pietatis fervore detexit ut ad haec perficiendum sanctae hujus sedis enixe flagitasset auxilium. Quapropter hortamur vos, & ut filios carissimos monemus, quatenus in his pestibus detestandis, simoniaca videlicet heresi & fornicatione ministrorum sacri altaris confutanda, & penitus extirpanda cum jam dicto pastore vestro fratre nostro ad omnipotentis Dei honorem vestraeque salutem totiusque patriae vestrae ut pii filii insistatis. In ordinandis quoque recte & canonice Ecclesiis ei totis viribus auxilium praebatis: immo in cunctis quae ipse ad Dei honorem vestraeque salutem agere disponit, sic obedienter obtemperetis ut S. Matris Ecclesiae vestrae apud vos munditia polleat, quam Christus sine macula & ruga castam sibi copulavit sponsam, haec autem quicumque servaverit de omnipotentis Dei gratia confidenter presumat, apostolicamque benedictionem se habere cognoscat, qui vero in his, que prefati sumus ei obistere tentaverit, eumque in omnibus, quae Dei sunt non adjuverit, contremiscat se divinae animadversionis apostolicaeque maledictionis ultionem incurere pro gratia & benedictione, quam non curat